

453

451

457

447

462

442

402

438

multas murorum ruinas atrium ecclesiae beatae Virginis ingressi
sumus; et ibi resignatis asinis suis custodibus ecclesiam sanc-
tam ingressi sumus, et procidentes in facies nostras indulgen-
tias plenariae remissionis accepimus (††). Et surgentes ab
oratione de magnitudine et pulchritudine illius ecclesiae vehe-
menter stupefacti sumus et admiratione suspensi. Et inven-
nimus in ecclesia mercatores illos, qui in ecclesia sancti
sepulchri etiam fuerant nobiscum, qui vendebant candelas; de
quibus emimus, quia jam nox erat in foribus, et sol in
occasu erat.

De visitatione sanctorum locorum, et primo de studorio
St. Ieronymi, et de ejus sepulchro.

Ordinaverunt autem fratres processionem eo, quo dictum
est fol. 94 A. et 110 B. Eduximus enim in asino nobiscum
ornamenta et paramentaria de monte Syon in Bethlehém, et
dum quilibet staret in ordine suo, habentes similiter accensas
candelas in manibus, incepit cantor hymnum de confessore
uno: Iste confessor Domini etc. Et cum illo hymno de
ecclesia exivimus in ambitu ad latus sinistrum, et in ambitu
per quoddam ostium ingressi (168 A) per XIX gradus
descendimus in unam pulchram testudinatam capellam. In hoc
habitaculo erat studorium divi Hieronymi, in quo multos et
duros labores habuit. Ibi totam Bibliam de Hebraico et
Chaldaico in Latinum transtulit, et in linguam propriam et
vernaculam, sicut ipse testatur in epistola ad Sophronium de
nova editione, et in epistola de hebraicis quaestionibus; et
prologos, epistolas, glossas et commentaria confecit. Ibi
psalterium, sicut hodie illum habet ecclesia Romana, correxit,
distinxit et ordinavit, et versum: gloria Patri, et filio, etc.
ibi dictavit, multos ibi discipulos sibi adunavit, eos docens;
virgo semper permansit; leonem ferocem domesticum et
mitem fecit; jugem pugnam cum haereticis et vitiosis clericis
et malis monachis habuit. Semper in labore fuit, et se in
cella hac ita fatigavit, ut in strato suo jacens, funiculo ad
trabem suspenso, supinus manibus se sursum traheret, et
officium monasterii, prout poterat, exhiberet. Et his laboribus

352

Ende

Anfang

